

DISSE^{1784/13}
T U S S I.

QUAM
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

PRÆSIDE
PRÆNOMIBILI, CLARISSIMO ET EXPERTISSIMO
VIRO AC DOMINO
D. FRANCISCO GEORGIO IGNATIO
ITTNER,

MED. DOCT. EMINENTISS. AC CELSISS. PRINC.
ELECT. MOG. CONSIL. AUL. ET ARCHIATRO
PROF. PRIM. PUBL. ET ORD. FACULT. MED.
ASSESS. NOSOCOMII MILITARIS PHYSICO
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS
PUBLICO ERUDITORUM
EXAMINI

Submittit
CASPARUS MÜLLER, MOGONUS

Die Novemb. MDCCCLXXXIV.

Intra festivos restaurata Universitatis dier.

MOGUNTIAE,
Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. apud Joan. Jos. Alef.
Hered. Haffner.

DISSTATIONIS

WANGENHEIM'S MEDICA

I B P U E

OTUS CANTABRICUS

WANGENHEIM'S MEDICA

OTUS CANTABRICUS

WANGENHEIM'S MEDICA



REVERENDISSIMO,
EXCELLENTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO AC PERQUAM
GRATIOSO DOMINO,

D O M I N O

GEORGIO CAROLO FRANCISCO
IGNATIO JOANNI NEPOMUCENO

S.R.I. LIBERO BARONI

DE

FECHENBACH

IN

LAUDENBACH

ECCLESiarum METROPOLitanæ MOGUNTI-
NÆ ET CATHEDRALis HERBIPOLensis, NEC
NON ECCLESiæ EQUESTRIS COMBURGENSIS
RESPECTIVE DECANO ET CANONICO CAPITU-
TULARI, EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS
ET ELECTORIS MOGUNTINI PRINCIPIS ET E-
PISCOPI WORMATIENSIS CONSILIARIO INTIMO
ET PROPRIN CIPI, DOMINO ET MÆC-
NATI MEO PERQUAM GRATIOSO.

REVERENDISSIME,
EXCELLENTISSIME, ILLÜSTRIS-
SIME AC PERQUAM
GRATIOSE DOMINE!
DOMINE!

Agere quidem Tibi gratias possum,
DOMINE PERQUAM
GRATIOSE! de eximiis illis & ma-
ximis, quæ in me contulisti beneficiis:
referre autem nunquam potero, quoad
mihi vita superstes erit; Tua enim sunt
studiorum meorum initia, Tua incremen-

A 3 ta,

PLATONIS DIALOGI
TIMAEUS. DICTIONARIA
SIVE DE TERRA
CLOTAIORUM DORNI
ET C. L.

ta, Tui denique lætiores illi fructus,
quos nunc percipere ingredior. Cumque
hac ratione innumera Tua sint in me be-
neficia: imparem habeo linguam, quæ
animi mei Tibi gratissimi sensus enarret:
sed imparem non habeo animum, qui Te
Benefactorem meum optimum & largis-
simum

*simum amet impensisime, & religiosissi-
me vereatur.*

*Insigni Tua, & prorsus singulari in
mē bonitate confisus audeo, hanc, Illu-
strissimo Tuo nomini inscribere Disserta-
tionem medicam, vellemque, effet mo-
numentum ære perennius, & quanta Tua*

A 4 in

*in me sint beneficentie munera, & quam
nunquam sit intermoritura devotissimi mei
in Te animi gratitudo.*

ILLUSTRISSIMI TUI NOMINIS

Cultor perpetuus
MÜLLER.



CI

T U S S I S.

§. 1.

Tussis vocatur, quando systema respirationis ita irritatum est, ut magnas inspirations, magnasque expirations summa cum velocitate & sonitu facere cogatur.

§. 2.

Quando thorax dilatatur, intrat aer in pulmonem; quando constringitur, plurima pars aeris ex pulmone expellitur, quæ actiones inspiratio & expiratio vocantur. Quibusnam vero auxiliis haæ actiones in thorace peragantur, hoc loco exponere, ntpote a scopo nostro alienum, supercedemus; cum illa tantum organa, in quibus tussi sedes est, in hac dissertatione nostra describere nobis proposuerimus. -- Ea super re plura qui legere desiderat, adeat Physiologiam iperillustris DE HALLER.

§. 3.

Tussis primaria sedes est in trachea, præcipue in sensilissima membrana, qua intus uestitur, ea enim, si sub deglutitione aut

A 5 aquæ

aqua gutta, aut gruma partis solidæ intraverit, statim vehementissimam tußim excitat, quæ non cessat, usque dum, quod ille apnum est, ex ea excussum fuerit.

Trachea porro in ramos abit majores atque minores; denique in vesiculas pulmonales membranaceas.

§. 4.

Per hanc tracheam omnis aer pulmones intrat. Cum autem effluviis plenus sit, quæ mechanismo & stimulo lœdere teneram pulmonum substantiam possent, unde perpetua tuſſis excitaretur; hinc natura non immediatum concessit aditum; sed ipſe aer, antequam in tracheam pulmonalem veniat, anfractuosas debet transire vias, quæ sunt os, & præcipue nares: in naribus anfractus sunt, quos transire debet aer, antequam perveniat ad asperam arteriam; parantur autem illi anfractus per plura & diversimode connexa ossa, quos investit membrana schneideriana, quæ omnibus partibus circumponitur, & plurimos folliculos copiose mucum fundentes habet. Aer itaque in hoc loco morans, a calore narium magis tepidus fit, ut frigus extrinsecus dominans non cadat in tracheam & pulmones, quoniā illud conſtrictionem folliculorum muciparorum & pulmonalium inferret, ut sic neque mucus adeo necessarius excerneretur, neque folliculi pulmonum substantiam facientes extenderentur debite, ut circulatio sanguinis inter interſtitia illorum debite fieri posſit. Tempor aeri per os intranti conciliatur. Accedit

dit adhuc, quod ipsa corpuscula in aere volantia, mechanice acria, quæ per copiosum e folliculis secretum mucum involvuntur; non amplius involverentur; hinc facile teneram pulmonum substantiam rodere, adeoque morbos introducere possent.

§. 5.

Trachea constat ex glottide, quæ paramur ex cartilagine scutiformi, duabusque arytenoideis & cricoidea. Ipsa glottis potest nunc im minus, nunc in majus spatium diduci: ut ergo vel latior vel arctior fieri possit, hoc faciunt musculi arytenoidei. In ipsa apertura glottidis conspicuntur duo sicut dorsi ventriculi. Cartilagini cricoideaæ applicatur fistula, id est, aspera arteria, quæ ex segmentis alterne cartilagineis & membranaceis constat, quæ integrōs circulos non facit, nam a posteriore parte spatium relinquit, quod membrana alligata implet. Hæc membrana habet quamplurimas fibras musculares & transversales. Ulterius in pectus procedens abit in duos ramos, qui in utroque latere pulmonum substantiam intrant, atque in hoc parenchymate, divisione varia facta ad ultimos usque folliculos deposita cartilaginea natura in folliculos membranaceos abit. Glottis, & tota ejus cavitas investitur adhucdum membrana valde sensili, per quam quoque fibræ musculares decurrunt. Tegitur glottis epiglottide, quæ ad basin linguae & ad os hyoides multis membrinis adhæret.

In

In omnibus hisce descriptis partibus & ipso pulmone copiosi locantur folliculi, qui mucum tenuem fundunt.

§. 6.

De organis, per quæ aer & intrare & exire solet, hæc dicta sufficiant. Jam vero si majore cum vehementia & sonitu aer excutitur: tussis vocatur. Inquiramus ergo in ejus species, earumque causas, & deum quibus ipsi remedii succurrendum sit.

§. 7.

Dividimus tussim in epidemicam & sporadicam, qua postrema nostra dissertationis scopus est. Ea vel est humida, vel est secca, quarum causæ in ipso organo respiracionis hærent; & illa, cuius causa in aliis visceribus hæret, ut per consensum tussis fiat.

§. 8.

Aer frigidus tracheam intrans tussim excitat, & vocatur catarrhus: is simplicissimus morbus est, nam frigore folliculi mucipari & vasa exhalantia trachea confringuntur, quo mediante tussis excitatur; mucus enim majori quantitate in folliculis colligitur, & ipsum transpirans, cum non adeo blandum sit, etiam partes stimulat, imo mora acrior majorem stimulum acquirit, ut ex hisce binis causis sensibilis membrana irriteatur, & tussim faciat, quæ initio secca est. Accedit gravitas corporis, sub vesperum vagæ horripilationis, quas excipit somnus inquietus. Si huic ægro per tempore lesti & hypor-

cau-

causti, medicamentisque, uti sunt infusum florū sambuci calide sumendum, transpirationem corporis restituo, desinunt tunc horrores vagi, præternaturalis calor, tussis fit humidior, & in voce raucedo diminuitur, & sensim materia, qua initio tenuis est, coquitur, atque in sputum crassum, album, tremori lactis simile convertitur, sive cefsat tussis. Ut autem coctio citior accedat, possunt adhiberi mixturae ex aquis florū sambuci, fragariæ &c. &c. cum oxymelle simplici, ex nitro & syrupo de althea Ferne-
lii, jujubarum &c. &c.

Eandem tussin producunt pedum & laterum refrigerationes, quæ eadem methodo curantur.

Tussim sèpe tanquam instrumentum considerare debemus, quo natura ad aliquid peregrinum aut vitiatum, in naturam nostram non mutabile, expellendum utitur. Cum enim aer cum vehementia in omnes partes tracheæ impingit, summa vi & violentia hinc partes ibi contentas secum ducit, & foras expellit. Infantes quando aeri frigidiori exponuntur, tali etiam corripiuntur tussi. Habent enim vasa exhalantia folliculos quamplurimos in trachea; qui si frigore constringuntur, eadem ratione tussim excitant, quæ initio sicca est, ut ex sonitu audiatur. Dein humidior sit, verum cum hunc ipsum mucum in trachea hærentem exscreare non possint, hinc illis alia methodo succurrendum est.

Pri-

Primo debent evitare frigus; corpora eorum sint bene testa, ut transpiratio succedit; dein interne exhibeatur oleum amygdalarium dulcium cum syrupo violarum, aut solvatur ipsis oleum amygdalarum dulcium in vitello ovorum, & detur cum aliquo syrupo; si tunc cognoscimus mucum magis solutum & spissum evadere, quod facile ex sonitu cognoscimus; convenienter his clysmata, & interne detur Manna a drachmis duabus ad unciam dimidiam, etiam majori dosi, prout adulti & robusti sunt in infuso Thee aut lactis eo fine, ut ad alvum mucus ille deducatur. Nam manna supplet usum melis, agit abstergendo & dissolvendo, & cum etiam alvum moveat, hinc mucum abstrahere a pulmone & ad alvum deducere potest.

Quod si tussis apud infantes de nocte vehementer sit, debet ipsis vesperi diacodium montanum ad unam alteramve drachmam pro ratione etatis exhiberi.

Adultiores jam infantes possunt initio uti oxymelle simplici & infuso ex pectoralibus herbis facto.

§. 9.

Quemadmodum humores corporis nostri qui sanguinem constituant nimia copia peccare & morbos producere possunt: ita etiam mucus in fistula aerea maiore quantitate seceretus via respirationis facit.

Hoc præprimis in iis hominibus continet, qui laxiore corporis constitutione sunt, Sic & senes muco laborant; senes enim non adeo amplius transpirant; hinc & illud transpi-

spirabile ad tracheam deducitur, & sic major copia muci in folliculis fecernitur, quæ irritando membranam illam sensilem tullim introducit. His optima ratione succurrimus, si mangi, jejuno ventriculo, libram unam aquæ felterane cum paucō saccharo partitis vicibus intra horam sumant, & tales vestes induant, quæ omne frigus arcent, nemque corporis transpirationem conservant. Quodsi autem aeri liberiori se expoununt, aut vestibus corpus non bene tegunt: tunc increscit tussis, & mucus, quem expuere antea facile iplis erat, nunc tenacior evadit, & difficulter parce, tussique molesta expsuitar. Imo sèpius & fortius tussire debent, antequam aliquid exscreant. His ea conducunt medicamenta, quæ mucum viscidorem incident & attenuant. Talia sunt gummi amitoniacum, sapo venetus; radix squilla, ari, enula; decocta ex herbis pectoralibus, cuiusmodi Tussilago, scabiosa, veronica, hedera terrestris sunt, cumque oxymelle squillitico & syrupo de althea Fernelii edulcorari possunt. Evitent frigus, & corpus contra illud vestibus muniant; his enim materies mucosa, tenax & viscida inciditur & expectoratur.

§. 10.

Tussis in trachea etiam observatur, si illa siccata est, v. g. sit inflammata trachea, ubi extremitates arteriarum obstructa sunt, tunc deficit transpiratio, & muci secrecio, unde tussis nascitur siccata, quæ morbo inflammatorio ablato cessat.

Dixi-

Diximus mucum sua abundantia tussim producere; sed ille ipse mucus accedentibus aliis causis in varias figuræ cogitur, sic, ut observatæ sint figuræ sub vermium, globulorum &c. forma, quæ per tussim excreta fuerunt. Etenim tracheæ ventriculi mucos charypitæ pleni sunt, qui mucus indurari ibi potest, sive diversas assumit formas, quæ mutationes certo ab effluviis aere coinquinantibus, & cum eo tracheam intrabitus eveniunt. Visu ejusmodi evacuatio-nes cognoscimus.

His possumus succurrere, quando aereum puriorem administramus, & si vapores aquæ simplicis ad tracheam determinamus, ut matières emolliatur. Intrinsecus dentur medicamenta ex gummi ammoniaco, galbanio, sapone veneto, radice Pyrethri, Enulae, squillæ, Ari; floribus benzöes, etiam decocta ex herbis pectoralibus, quæ tenacem mäteriam incident & evanescunt.

Quandoque atmosphæra vaporibus fuligineis, acidis, arsenicalibus, mercurialibus imprægnata tussim vehementer adducit, quæ curatur eximendo a tali atmosphæra. Interne dentur decocta ex regno vegetabilium, quæ continent in se mucilaginosa & involventia.

Sunt & certa opificia, quæ suis cultoribus tussim adducunt; ejusmodi sunt lapicidæ molitores, aliquæ qni in continua exhalatione particularum heterogenearum vitam suam terere debent. Hi, si opificia sua non relinquunt, tussis curari non potest: hinc

85

Observationes quamplurimæ prostant, eos
vix non omnes ex phthisi mori.

§. II.

Materies acris ad tracheam & pulmones
deflata tussim excitat, sic variolosum & mor-
billosum miasma tussim faciunt, & tussis ex
morbillis nata sæpe ægrum ita infestat, ut
medicamentis opus sit, quæ ex involventi-
bus & demulcentibus defumuntur, qualia
sunt herbae pectorales mucilaginosæ, oleum
amygdalarum dulcium in vitello ovorum so-
lutum.

Eit & alia species acrimoniae, quæ sæpe
in faucibus hærens furtim in tracheam cadit,
quam antiqui destillationem ex capite nomi-
narunt. Èt etiam tussim vehementem ex-
citat. Cognoscitur ex irritatione in fauci-
bus, sputo tenui, quasi sapo in aqua solutus
esset, & sæpius cum sapore falso.

Ea curatur, si mucilaginosa lente de-
glutiuntur. Talia sunt oleum amygdalarum
dulcium in vitello ovi solutum, aut loco hu-
jus Electuarium ex spermate ceti 3i s oleo
amygdalarum dulcium 3iii. vel iv. solve su-
per lentum ignem & solutis adde saccharum
album ad consistentiam Electuarii. Sumas
sæpius de die aliquantulum.

Simili materies acris potest in sanguine
hærente & in folliculis muciparis secerni, ubi
tunc tussis quasi perpetua est. Si prima &
secunda species a medico negliguntur, æ-
groti in phthisin incident. Hæc species tus-
sis cognoscitur, si ea vix non continua est;

B h

si per illam nihil excernitur, nisi tenuis aqua diluto saponi similis; &, si ob vehementiam tussis aliquid exspuunt, paucum est, & ex abrasa superficie tracheæ ob vehementiam tussis provenit; hæc tussis non adeo facile curatur; imo, si negligitur, in phthisinabit; nam partes pulmonum per acrimoniam sensim eroduntur, aut in parvas scirrhos vel lapillos mutantur. Hic inquirendum est, cuiusnam naturæ acrimonia illa sit? quæ si detecta fuerit, per sua antidota curari debet. Quod si autem naturam hujus acrimoniae non cognoscimus, tunc methodus mendendi ita instituenda est, ut massa sanguinis summopere diluatur, & materies ad pulmonem delata involvatur, ne facile substantiam pulmonis arrodere possit. Hoc autem præstant balnea aquæ tepidæ, aqua enim massam sanguinis intrans omne acre diluit, & per vias urinæ e corpore educit. Interne conductum decocta ex pectoralibus mucilaginosis parata. Talia sunt radix altheæ, malvae, Tussilaginis, verbasci, mercurialis, veronicae, hederæ terrestris; flores papaveris rheados, altheæ & similia, quæ in aqua fontana aut sero lactis incoqui possunt. His addimus aut in forma pulveris aut pillularum remedia ex styrace, spermate ceti, gummi arabico, Thragacantho, speciebus diatragacanthi. Massa pillularum de Cynoglosso, quæ opium in se continet, resina Guajaci. His remediis addimus bonam diætam ex vegetabilibus, imo, si nulla febris, neque acida acrimonia adest, diætam lacteam. Sic & fon-

fonticuli, setacea conducunt, qui a pectore acre illud derivant. Aer frigidior nebulosus summopere evitetur. Quodsi autem tussis a lapidea vel scirrhosa materia nascatur, id alibi sumus exposituri.

§. 12.

Corripiuntur infantes vehementissima tussi, quæ convulsiva appellatur. Hæc tussis valde molesta est, diu durat, & si graffatur, epidemice graffatur, mortemque plurimi infantibus infert. Habet diversa stadia. In primo stadio tussis non adeo est vehemens, neque per diem sèpius molesta. Etiam non multum, nisi aliquid limpidi: viscosi, rejiciunt. De die in diem crescit vehementia tussis, & materies paulo viscosior rejicitur. Accedit simul vomitus contentorum in ventriculo. Tussis tam vehemens est, ut vix inspirare possint. In hoc stadio facies livet, turgida est, oculi prominent, rubri sunt. Crederes, eos suffocari. Metuendum hic est, ne crepet subito in cranio aut pulmone vasculum sanguineum; quod si in capite contingit, sequitur subito mors; si in pulmonibus, fit hæmophysis. Hoc stadium excipit tertium, ubi materies crassior, magisque alba, & ultimo tremore lactis similis cum minori vehementia tussis & vomitus excernitur.

Si ægro tali morbo correpto succurrere volamus, inquirendum est in causam, & in quonam stadio morbus sit. Causa certe minima acre est, quod in folliculis muciparis faucium, laryngis & tracheæ primas tragedit.

B 2 dias

dias exhibet. Pergit illud miasma sese folliculis muciparis œphagi & laryngis ventriculis insinuare, quod indicare videtur quantitas muci, quæ per tussim & vomitum ejicitur. Si in primo stadio morbus sit, & medicus, quod rarum est, eo tempore vocetur: præter cibos molles & blandum potum sequens Eclegma exhibeatur: sperma ceti ʒii. oleum amygdalarum dulcium ʒiii. solve lento igne, adde saccharum album ad consistentiam justam, & de hoc deglutiatur aliqua portio saepius de die. Nam hoc remedium acre involvit & inviscat; vel loco hujus solvatur oleum amygdalarum dulcium cum vitello ovi, addendo aliquam aquam destillatam cum syrupo pectorali, & alvus enematibus servetur aperta.

Quodsi morbus in alterum stadium transit, tunc ad præcavendam apoplexiā, hæmophyſin, convulsionem instituatur venæ ſectio, & ægro exhibeatur decoctum ex Lichene pyxidato. Sume v. g. Manipulum unum hujus lichenis & coque in una libra lactis vaccini, cola. Abfumatur hæc portio intra diem, & continuetur. Si tunc vides materiam viscidorem fieri, quod ſignum est incipientis coctionis, tunc exhibeatur emeticum ex radice Ipecacuanhæ & oxymelle squillitico. Hanc methodum Illuftrissimus Præfes apud septem tuffi convulsiva laborantes optimo cum ſuccesſu adhibuit, quos omnes brevi tempore pristinæ sanitati reſtituit.

Quan-

Quando in tertio stadio morbus est, quod cognoscitur, si excreta materia consitentiam tremoris lactis plus, minusve assumit, & vehementia tussis incipit cessare, tunc vel dato emeticco, si opus, aut dato purgante mannatato cessat.

§. 13.

Alia iterum species tussis est, quando in pulmonum substantia causa hæret. Sic v. g. inflammatio pulmonis tussim facit, quæ cessat inflammatione curata. Sæpius ea ipsa inflammatio, si male curatur, aut si humores non blandi sunt, in suppurationem abit: & tunc generatur vomica, quæ diu hærere potest abique omni tussi. Quodsi autem matières acris sit, & vicinas partes rodat, tunc excitatur tussis, mediante qua pus evacuat. Talis tussis cognoscitur per signa vomicæ & curata vomica cessat. Sæpius substantia pulmonum parvis copiosisque lapillis obfideri solet. Tunc initio non adeo animadvertisit tussis. Sed quando lapillus pondere premens vicinas partes obstruit, nascitur parva inflammatio, quæ in suppurationem abit, ubi pus hærens titillationem in pulmone excitat, ex qua tussis vehemens cum refectione paucipuis excitatur. Sæpe tum accedit parvorum lapillorum cinericili coloris cum hac tussi excretio. Si lapillum excretum diffringis, putridum olet. Ex hac causa nata tussis non curatur, nisi morbus primarius curetur. Pus in cavitatem pectoris effusum ut in empymate sit, si acre evadit, arroendo pulmones tussim modo humidam, modo siccum facit.

B 2 Idem

Idem facit aqua in cavitate pectoris stagnans, item hydatites in pulmone praesentes, idem aqua in sola cellulosa tela, quæ folliculos pulmonum ambit; quod Illustriss. Praeses femel in cadavere vidit. Ab his omnibus excitata tussis non cessat, nisi superato morbo primario.

§. 14.

A causa externa pectori applicata etiam tussis fit. Sic contusio, si vulnus pectoris tussim producunt. Ex contusione interna pulmonum substantia una cum vasculis illam comitantibus elaterem suum amittit, quæ sic ultra modum dilatantur, ut sanguis in illis locis stagnare debeat, qui distendendo vasa, vicinas partes comprimit & irritat; unde tussis nascitur.

Per contusionem sèpius exprimitur e vasculis crux, qui in folliculis depositis partes irritat, & tussim excitat. Idem hic facit ac in hæmophysi. Natura enim ab alieno corpore se liberare volens, tussi tanquam instrumento utitur. His causis tussim productibus medemur, si venæ sectionem repetitam instituimus, & pectoralia solventia exhibemus una cum mellitus vulnus extrinsecus pectori inflictum tussim quoque producit: si enim instrumentum lœdens substantiam pulmonum intrat; discindit vasa, & sanguis effluens pondere suo irritat partes, & ad tussim stimulat, quæ major fit, quando sanguis coagularus in partibus pulmonum hærens premendo & irritando tussim producit. Eadem vehementior fit, quando materies evacuata aeris

aeri liberiori exposita acrimoniam aliquam acquirit, quæ irritando vicinas partes ad summam tussim stimulat, & hæc tussis non cessat, nisi ablatis causis. Qua vero ratione id hat, Chirurgia docet.

§. 15.

Altera nunc clavis, quæ tussim excitat, consideranda venit: nempe ubi causa non immediate in pectori hareret, sed ex aliis locis per metaстathem eo deducitur. Videamus saepius, morbos, extremitates corporis occupantes, eas relinquere & sedem in pulmonibus figere. Inter eos frequentissimus est arthritus vaga, quando ea subito derelinquit artus, & in pectori sedem suam figit. Tunc ægroti spirant cum difficultate, tullique vexantur cum febre magna. Saepius materia arthritica in corpore arthritico per plures mensens silens, sed ex improviso commissio errore in rebus non naturalibus, v. g. si aeri nebuloso, pluvioso, frigido se exponunt, in corpore impune hærens statim excitatur pectus occupat, ibique febrem, spirandi difficultatem cum tussi inani facit. Cognoscitur, si scimus aut arthritidem adfuisse, aut ægrotum ante aliquid tempus corruptum fuisse, quales ægroti saepè sub cura fuerunt Illustriss. Praefidis. His, si corpus plethoricum, etiam si pulsus durus non adfuerit, vene sectionem instituimus; dein ad artus ponimus vesicatoria larga, & in utroque casu potum exhibemus tepidum, &, quo usque calor adeat, largum ex diapnoicis & antiphlogisticis paratum. Intrinsecus dentur ta-

B 4 lia,

lia, quæ ad cutem operantur. Conveniunt omni hora vel biborio camphoræ & Moschi grana duo cum mica panis ad unam vel duas pillulas formata. Posunt etiam hic adhiberi Kermes minerale, antimonium diaphoreticum non ablutum, sulphur auratum antimoniæ, tartarus emeticus ad granum unum in sex uncias aqua dilutus. Non majorem autem effectum ab omnibus his recentis remediis vidit Illustriss. Praeses, quam a moscho & camphora, quem intra viginti quatuor horas summo cum effectu ad scrupulos duos dedit. Quam primum in extremitatibus dolorem aliquem sentiunt, synapismi his partibus statim applicandi sunt; imo & applicentur, si nullus dolor adhuc percipitur.

Synapismi constant ex semine synapis, pulvere Euphorbiæ, Helleboro albo, allio contuso cum fermento panis. Quam primum febris remittit, aut plane cessat, quod sit, quando plurima pars, aut omnis materia arthritica ad artus delata est: tunc præter pillulas ex moscho, longiore interposito intervallo decocta aromatica ex lignis adhibeantur, qualia sunt lignum sanctum, sassafras, radix chinæ & sassafrille. Hac methodo pristina sanitati plures restituit Illustriss. Praeses. Eandem tragœdiam ludit materies podagræ, quæ ex podagra retrogressa cognoscitur. His eadem remedia conducunt, quibus addi debent balnea pedum & manus ex aqua pluviali tepida parata. Sed illo tempore, quo balneum usurpatur, synapismi ab extremitatibus debent demiri, & finito balneo iterum applicari. A

A scabie retrogressa, si ea pectus occupat, eadem spirandi difficultas, eadem tuffis, ut in precedentibus observatur. Cognoscitur facile, si scimus, ægrotum scabie laborasse, quam sibi vel unguentis, vel aliquo alio repercutiente remedio repercussiferit, quæ materies ex mala metastata pulmones occupavit. Huic medemur, si scabies ad cutem iterum reducimus, ut noviter recrudescat. Hunc scopum attingimus, si cum moscho flores sulphuris, sulphur antimonii auratum, resina guajaci, camphoram, imo & æthiopem mineralē conjungimus & exhibemus. Bibat pro decocto radicem bardanæ recentem, quæ fodi debet, antequam caulem emitit. Hæc sola radix decocta illustrif. Præfidi majorem effectum prætitit, quam decocta ex china, saffparilla; ligno guajaci & santali. Eidem scopo conduceunt balnea tepida ex aqua pluviali parata, ut tota cutis emolliatur. Imo & applicanda sunt vesicatoria ad illa loca, ubi major pars scabiei posita fuit, quod ex maculata cute cernere possumus. An non inoculatio hic locum habet?

Antiqua ulcera diu manantia, ubi subito fluxus cessat, etiam quandoque materies, quæ evacuari hac via consuevit, si ad pulmones defertur, rufissim faciunt. Talis curatur, si pristinus fluxus restituitur. Hoc contingit, si ad partem, a qua defluxit materies, ponitur vel vesicatorium, aut applicatur causticum. Ponantur fonticuli, aut si locus est, setaceum. Restituto fluxe cessat rufiss.

B 5 §. 16.

§. 16.

Dantur & tusses, quæ per consensum sunt, ubi materies non in pulmonibus ha-
ret, sed in alio viscere. Sic ex destruc-
tione hepatis, lienis aliorumque viscerum ab-
dominalium tusses natæ sunt.

Quotidiana experientia docet, hysteri-
cas in paroxismo sape vehementissima tussi
coripi, quæ anodinis, uti Laudanum li-
quidum Sydenhami, maſſa pillularum de sty-
rage reliquisque opiatis curantur. Et tussi
vexantur hypochondriaci, quæ materia hy-
pochondriaca evacuata cessat. Haec species
tussis propter consensum nervorum sunt,
cum par vagum & intercostale pectori, pul-
monibus & omnibus abdominalis visceribus
nervos dat.

Tussim quoque apud infantes videmus,
si illi voraces majorem alimentorum quanti-
tatem assumunt, quam digerere possint. Un-
de faburra in primis viis nascitur, quæ acri-
monia acquisita nervos ventriculi irritat.
Hi in consensum trahunt nervos respirationi
dicatos. Unde tussis cognoscitur ex lingua
fordida, ex inflatione ventriculi, ex nau-
sea ciborum sumendorum, ex putrido halitu.
Curatur facile dato vomitorio.

Infantibus dentientibus saepius tussis su-
pervenit, quæ secca initio & arida est. His
convenit oleum amygdalarum dulcium cum
syrupo violarum, aut oleum amygdalarum
dulcium cum vitello ovarum solutum, datis
una enematibus. Saepius non cessat tussis,
nisi erupto dente.

Causa

Causa hujus consistit in consensu nervi maxillaris cum pari vago & intercostali.

Coagulum laetis in ventriculo etiam tussim facit; quæ soluto coagulo & destructo acido cessat. Hic ergo profundit magnesia nitri, sapo venetus & alcalina tam volatilia quam fixa una cum enematis.

Vermes in intestinis nidalantes etiam tussim producunt, quæ curatur destrutis & eliminatis vermis.

Intrusio digiti in aurem tussim sœpe excitat. Portio autem dura nervi auditorii communicationem habet cum intercostali & pari vago. Homines male formati, uti gibbosæ, etiam tussiunt.

§. 17.

Supersunt adhuc vitia enumeranda, quæ in adultis & infantibus ex vehementi tussi contingere possunt. Tales sunt diversæ species herniarum, scrophulae, aneurismata, abortus in foeminis, in utroque sexu incontinentia alvi & urinæ.



POSITIONES MEDICÆ.

1) **T**heoria evolutionis præ cæteris probabilior.

2) Rudimenta futuri embryonis in ovario matris præexistunt.

3) Aura seminalis ad vivificanda scetus rudimenta sufficere videtur.

4) In formandis hominum varietatibus climatis diversitas, varium vitæ genus, ars plurimum determinant,

5) Opii virtus pro varia dosi irritabilitatem aut excitat aut obtundit.

6) Uſus arsenici internus & externus semper funestus est.

7) Cantharides in morbis acutis ad�icationib⁹ sufficientib⁹ non prægressis, pessimum medicamentum.

8) Pulvis Doweri præstantissimum sudoriferum est.

9) In

- 9) In multis morbis conveniens vitæ regi-
men plurimum præstat.
- 10) Medicus ad ægrorum consuetudinem &
idiosyncrasiam solicite attentat.
- 11) Animi affectus morbos & excitant &
& tollunt.
- 12) Contagium variolosum putridum pesti-
tentiale &c. primo nervorum functiones
lædere videtur.
- 14) Renovata illa opinio de diversitate mi-
matis suis venereæ inter & materiam go-
norrhœiacam plane non admittenda mihi
videtur.
- 15) Pulsus magnus plenus fortis plethoram
adesse non sufficienter determinat.
- 16) In morbis inflammatoriis topicis sanguis
per amplum vulnus emittendus est.
- 17) Miasmatum eorundem e.g. morbillorum
&c. variii effectus non a diversitate mi-
asmatis, sed a privata constitutione cor-
poris ægroti & a charactere epidemico
dependent.
- 18) Cortex peruvianus & camphora non in
quavis putridarum febre, vel quovis
ejusdem studiо adhibenda sunt.
- 19) Emetocathartica circa finem paroxysmi
intermittentis febris optimo cum succes-
su adhibentur.


a) In

- 20) In intermitente febre emeticum paucis ante paroxysmum horis propinatum egregie vim ejus infringit.
- 21) Radix Gei urbani febres intermitentes eximie fugat.
- 22) In pleuritide non est mittendus sanguis, donec crusta inflammatoria dispareat.
- 23) In hydropis curatione non in hydrogogis consilium querendum, sed causa potius exscrutanda est, quæ hydropicum fistebat morbum.
- 24) Paracenthesis abdominis in hydrope affecte minime ad ultimum differenda est.
- 25) Febris, quæ variolas comitatur, non semper variolarum copiam, sed morbi potius decursum determinat.
- 26) Symptomata affecti capitis in prima febre variolosa aere sereno optime & præcaventur, & pelluntur.
- 27) Tineam capitis absque bulbillorum capillorum extirpatione tollere possumus.
- 28) Perversa est ea methodus medendi, quæ ulceræ per applicata topica remedia consolidat, neglectis interim internis.
- 29) **U**lceribus chronicis, sublati causis specificis, nihilominus persistentibus, ligatura secundum Thedenii methodum instituta optime mederi possumus.

30) In

- 30) In hernia incarcerata, repositio si tem-
pestive non succedat, herniotomia
quamprimum instituenda est.
- 31) Infantes fasciis ligari an noxiūm semper
& inutile?
- 31) Libri practici a compilatoribus theore-
ticis in popularem usum exarati longe
plus noxæ, quam utilitatis adferunt.





ULB Halle
006 398 782

3



vol 18





DISSE^{1784/13.}RTATIO
INAUGURALIS MEDICA

T U S S I.

QUAM
INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO

P R A E S I D E

PRÆNOBILI, CLARISSIMO ET EXPERTISSIMO
VIRO AC DOMINO

D. FRANCISCO GEORGIO IGNATIO
ITTNER,

MED. DOCT. EMINENTISS. AC CELSISS. PRINC.
ELECT. MOG. CONSIL. AUL. ET ARCHIATRO
PROF. PRIM. PUBL. ET ORD. FACULT. MED.
ASSESS. NOSOCOMII MILITARIS PHYSICO

PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS
PUBLICO ERUDITORUM
EXAMINI

S u b m i t t i t

CASPARUS MÜLLER, MOGONUS

Die Novemb. MDCCCLXXXIV.

Intra festivæ restauratæ Universitatis dier.

M O G U N T I A E ,

Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. apud Joan. Jof. Alef.
Hæred. Häffner.